



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

V. De Aduocato, Procuratore, & Notario.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

36. *Tenetur ne semper reus fateri veritatem?* Non tenetur cum iuridicè non interrogatur: aut cum dubitat de iuridica interrogatione. Tenetur verò si iuridicè interrogetur, & id illi notum sit. Probabile tamen est nec cum iuridicè interrogatur, veritatem fateri teneri in grauioribus pœnis corporali- bus, vt morte mutilatione, &c.

37. *Obedire ne tenetur per iniustam sententiam damnatus?* Non teneri in conscientia affirmo. Tamen per vim non potest se defendere. Fugere quidem potest è carcere, etiam post sententiam, si mortem, aut mutilationem timeat. Effringere carcerem etiam potest, & custodes datâ pecuniâ decipere, & aliis modis periculum euadere.

38. *Alij ne auxilium illi possunt impendere?* Ita planè, non tamen ministri publicæ potestatis, nec alij specialiter prohibiti; quia Magistratus cui inserviunt debent gerere morem. Profectò illi, quibus licet auxilium dare ad fugam, non licet carceres effringere.

## CAP V.

*De Aduocato, Procuratore, & Notario.*

39. **P**ossunt ne aduocare quicumque sese huic muneri ingerere voluerint? Non omnes possunt aduocare, v. gr. qui ob impotentiam, vel defectum, vel indecentiam. Munus graue aptum exigit ministrum. *Quotnam in Aduocato requiruntur?* Quatuor, scientia conueniens, fidelitas, iusta causa, & iustum pretium. *Qui scienter iniustam causam defendit?* Ultra mortale peccatum, ad restitutionem quoque tenetur. *Si dubia causa probabilis sit?* Suspici potest. *Si pretium taxatum est?* Ultra non licet; si autem non est taxatum, satis est iustum naturale. *Tenetur ne pauperibus gratis patrocinari?* Ita quidem, etsi sit extrema, aut grauis necessitas, etiam cum suo incommodo tenetur; si communis necessitas, non tenetur huic, aut illi in particulari; si autem possit sine graui suo incommodo, aliquando tenetur.

40. *Quotnam in Procuratore conditiones?* Etiam quatuor exiguntur, Scientia, Diligentia, Veritas, & Iustitia.

41. *Quotnam denique in Notario?* Quinque, scientia, obligatio ad res sui muneris peragendas, veritas & fidelitas, & iustitia tum in conficiendis instrumentis iusti, tum in iusto pretio ob laborem suum accipiendo.